21

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SANITATE CONSERVANDA ABS ET CVM PHARMACO

QVAM

DEO T. O. M. DVCE ET AVSPICE

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKERODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

AVTHORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA

SVB PRÆSIDIO

DN. D. IVONIS JOANNIS STAHLII,

S. ELECT. MOG. CONSIL. ET ARCH. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD. N. N. CIVITAT. ERFORD. CONSVL.

PATRONI PRÆCEPTORIS PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI.

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ EXHIBET

JOANNES HEINRICVS Kramer/

Fuldensis,

AVTOR ET RESPONDENS

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE XXV. MAJI, A. R. S. M DCC XXIX.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



PROŒMIVM.

DUo exſtant fata, quæ vitam hominis reddunt deteriorem, quæquè homo anxiè evitare cupit; miſera nempe ægritudo & brevitas vitæ; duæ verò è contrario ſunt felicitates, quæ humanam nobilitant vitam, quasquè mortalis aviđè concupiſcit, ſanitas ſcilicet & longævitas. De longævitate adipiſcenda quædam adducere ex profeſſo non intendo, ſed unicè tantùm modum conſervandi ſanitatem propoſiturus ſum, cùm hæc non ſolùm avidô quæratur animô, & rarò reperiatur, ſed etiam ſæpè præ longævitate æſtimetur: nam quid aliud eſt longævitas, ſi hæc variis circumdata ſit ærumnis, niſi multis annorum decurſibus torqueri, & miſerè vivere diu? non tamen contemno longævitatem, nam & hæc eſt magnum Dei naturæque donum, imo fidelis ſanitatis ſocia; ſi diu conſervetur ſanitas, & diuturna ſequetur vita id eſt longævitas: nam nullus abs morbo & enervatione corporis moritur homo: morbus eſt perſecutor vitæ, morbus libitinæ januam in corpus humanum aperit; morbus eſt, qui diſ-

fringit, dissociatquè vinculum animæ cum corpore, hoc divulso celerrimis accurrit passibus, nè dicam, adest mors: hinc si amas longævitatem, redama præsentem sanitatem conservando, & redime amissam restituendo: Si fueris sanus, nec mors morbusque sequetur præmaturè: ajo præmaturè, nam terminum vitæ finalem à Deo sapientissimè cuilibet designatum nullus hominum transgredietur. Et eheu, licèt omnes & singuli pretium sanitatis incomparabile agnoscant & affectent NATVRALITER *(nam aliud de supernaturali moriendi desiderio Apostoli sentiendum est, exclamantis: cupio dissolvi & esse cum Christo) sic tamen exiguus eorum est numerus, qui pleno pectore ita suum instituunt vitæ curriculum, ne inde offensa morbosa sanitatis rabida exoriri valeat; est hisce quidem nihil jucundius, nil optabilius sanitate, attamen pauci media, quibus obtinenda est, impendunt; quis enim innumerum helluonum numerum ignorat? qui diu noctuque diligunt luxum, & incidunt in luctum, amœnas quærunt gulæ delicias, & amaras corporis animiquè reportant tristitias; multum edere & bibere intendunt, & vix guttulam bolumquè prægustant amaenè, quoniam propero pede Longæva subsequitur infirmitas. Quapropter jam totius Græciæ Archiater & Medicinæ rationalis Pater* HIPPOCRATES Sect. prim. Aph. *XVII. dixit:* ubicunque plus præter naturam alimenti ingeritur, id morbum faciet. *Nec me deterret à meo proposito, quòd sanitatem conservare doceam, eorum repudiatio, qui plenis ebuccinant faucibus, quid Medicina valet, si sanitas firmis stat thalis? valet equidem & quidem multum Medicina, ab hac enim doceris, quomodò sanitas utpote margarita vitæ nobilissima auroquè pretiosior sit conservanda. Quid quæso præfers, vel sanitate incontaminata constanter perfrui, vel contaminatam læsamquè bolis medicinalibus guttulisquè ama-*

ris-

rissimis recuperare? nonne primum eligis? & en! id tibi porrigo & offero; ideo & scribit alter Princeps Medicorum GALENVS Lib. pr. de tuenda sanitate, quoniam & tempore & dignitate sanitas morbum præcedit utique & nobis quemadmodum hæc servanda sit, prius tractare conveniet: post autem, quo pacto commodissime sit morbus abigendus: *ideo & primi* Medicinæ *Antistites in duas eandem divisêre partes, primà est* HYGIENE, *quæ docet sanitatem præsentem conservare, altera* THERAPEVSIS, *monstrans modum amissam recuperandi; ita & meus primus est scopus demonstrandi, quomodò præsens sit conservanda sanitas, & id quidem faciam absque divitiarum desiderio, nempe absque pharmaco, sin vero L.B. non auscultaverit & inobediverit, sic & paratus sum medicamen parare in suum meumquè lucrum: non tamen sibi quis persuadeat, me propositurum esse ea, quae ab homine non exequenda sunt, uti monuit* GALEN. *citat. lib. agens:* sane quæ corpus nostrum lædunt, corrumpuntque, ea sunt genere duplicia, altera nobis congenita, & quæ vitare nequeas &c. *quis enim monstrosè genito unum tantùm pedem manumque gerenti defectum resarciet, quis omnes aëris nocivas purgabit injurias, quis casus fortuitos quoscunque tegulam è tecto decidentem improvisè in suspenso immobilem tenebit? hinc & pergit* GALEN. *dicens:* non enim si quid collisu, vulnere, aut similiquopiam affectu â statu naturali enatum sit, id statim aut nosse aut declinasse ullius esse artis munus. *De his & similibus non sermocinabor, sed in medium proferam, quae in potestate & manibus hominis ad firmam conservandam propriam machinam existunt, ut vero hoc conamen prosperè succedat, adesse velit* author *vitae, &* largitior *sanitatis supernaturalis vehementissimè exopto.*

CAPUT I.

DE
CONSERVANDA SANITATE ABSQUE PHARMACO.

§. I.

ANtequam ad theſaurum theſaurorum côngregandum, auream ſcilicet ſanitatem conſervandam prolixiùs devolvar, uti canit poëta.

Si ventri benè, ſi lateri pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Simile aſſeruiſſe dicitur Auſtrinum Albertum qui, dum interrogatus fuit, quænam ejusdem foret optima & jucundiſſima poſſeſſio, reſpondit: *Sanitas; cujus theſaurus tam pretioſus eſt, ut quidvis potius perpeti debeat homo, quam eam ſibi eripi ſinat.* Judico utiliſſimum fore, ſi priùs ſanum ejusque conſtitutionem illibatam & integram vivis quaſi depingam coloribus & ita formoſitate plenum hominem oculis Benevoli lectoris proponam.

§. II.

Quapropter in medium provoco, & duco hominem mediæ ætatis (non tamen aliam degens ætatem excluditur, uti in ſequentibus patebit) hic, ecce! firmis incedit paſſibus, erectum gerit caput, artus tenet agiles, robuſto conſtat trunco, facie ſuperbit florida, Lynceis contemplatur oculis, apri audit auribus, volubili præditus eſt lingua, uti canit poëta de ſenſuum excellentia

Nos aper auditu Lynx viſu Simia guſtu.

Verbô, tota externa machina ita figurata & formata eſt, ut nihil vitiatum reperiatur, quòad magnitudinem, longitudinem, rectitudinem, numerum, poſituram; omnia in ſuo ordine & loco ſita atque conſtituta taliter exiſtunt, qualiter natura exigit, & inde actiones cuilibet parti competentes exerceri actuarique poſſunt; ex his verò nondum ſanus judicatur, aſt & interiora perluſtrare debemus.

 §. III.

§. III.

Sanus & ille meritò audit, qui ſagaci gaudet ingenio, perſcrutatur difficilia in moralibus & naturalibus abſcondita, mente revolvit præterita, objecta ſibi repræſentat & concipit ſicuti in re & veritate naturæ exiſtunt, falſum à vero dignoſcit, bonum à malo dijudicat, fronte menteque eſt ſerenus, animo gaudet hilari, delectatur conſortio humano & non incedit oculis torvis nec fugit ſodalitia humana, multò minùs inſtar mente captorum moeſtus & moroſus absque ſufficienti cauſa vitam agit: præter hæc adducta ſanitatis conſectaria adhuc requiritur.

§. IV.

Ut ſanus pro exigentia naturæ alimenta & potulenta ingerat, nec avidè, nec parcè. Ingeſta non relinquantur indigeſta, ſed in laudabilem chylum, liquorem fundamentalem ſanguinis, & inde reſultantis nutrimenti in nutritionem & augmentationem neceſſarii convertantur: reliquiæ & quisquiliæ alimentorum aſſumtorum per inteſtinalem canalem expurgentur, & ſordes ſeroſo-excrementitiæ in ſanguine latitantes per debita emunctoria evacuentur & ita ſanitas perennabit, hinc dicitur: qui bene ingerit, digerit & egerit, ſanus habendus eſt; mas ſit potens, mulier fœcunda, ſi ætas competens adſit; puerpera ſit inſtructa uberibus dulce nectar lacteum infanti ſtillantibus: actiones vitales in utroque ſexu legitimè peragantur, calor nec ſit imminutus nec adauctus, reſpiratio liberè ſine impedimento procedat, pulſus moderato & æquali motu juſtam ſanguinis circulationem deſignet; ex quibus fluit & patet quidem eſſentia & quidditas ſanitatis: attamen ut accuratiùs omnia ſanitatem concernentia & ab eâdem propullulantes effectus clareſcant, deſcendimus ad definitionem tradendam, quæ multifaria juxta diverſa diverſorum Authorum placita eſt, nam.

§. V.

Placuit jam Galeno lib. citat. ſcribere, *ſanitas ſymmetria*

qua-

quædam eſt, & ſubjungit: *ſanitas omni ſectæ ſymmetria eſt, nobis calidi, frigidi, humidi, & ſicci.* Hic itaque ſecundus Medicorum Princeps in humoribus & exinde reſultante qualitate eorundem media ſanitatem ſtatuit: & quidem hanc ſymmetriam radicaliter fundat in ſanguine & ſemine, à quibus primordium generationis, vitæque humanæ verè deſumit: huic aſſentit FERNEL. AMBIAN. Lib. I. Pathol. Cap. V. fol. 130. ſcribens: *itaque corporis partisvè abſoluta & exquiſita Symmetria, quæ ad ſummum pervenerit, ſumma eſt ſanitas.* WEDEL. in ſuâ Phyſiologia reformata Cap. XV. de vitæ in columitate fol. 529. maluit ab affectione dicere: *Sanitas conſiſtit in εὐφορίᾳ:* hic Author ſanitatem ab effectu definit, dum omnes actiones in corpore vivo placidè jucundè absque moleſtia decurrunt. Uti SYLV. Lib. I. de methodo Medendi Cap. 2. fol. 36. §. 2. ratiocinatur: *Sanitatis effectus integra eſt functio.* Alii definitionem ſanitatis adducunt formalem, proferentes, quod ſanitas ſit potentia exercendi actiones ſecundùm naturam temperamento, ætati, ſexui competentes; cùm verò ipſa potentia præſupponat aliquid aliud, quod potentiam non ſterilem ſed fœcundam reddit, ut nempe in actum deduci poſſit; ideo me converto potius ad illam definitionem, quæ cauſalis vocatur, quatenus illa genuinam eſſentiam ſanitatis explicat, itaque demonſtrat, quonam modo illa tuenda atque conſervanda ſit.

§. VI.

Eſt ergo ſanitas legitima & integra conſtitutio atque diſpoſitio omnium partium corporis ad actiones naturaliter edendas, temperamento, ſexui, ætati competentes. Mecum conſentiunt quàm plurimi alii authores, ita enim ait ETMÜLLERUS Tom. I. de Phyſiologia fol. 5. §. LIX. *Sanitas eſt vitæ integritas:* & parte II. Patholog. Cap. I. fol. 175. pergit dicere: *integritas iſta ſeu ſanitas conſiſtit in legitima diſpoſitione, ſeu naturali conſtitutione partium quarumvis machinam corporis componentium, per quam agere & operari ſecundum leges, à naturâ præſcriptas aptæ natæ ſunt, effectivè, verò in omnium operationum & inde dependentium vigore & perfectione.* Idem dicere

cere videtur NENTER. in Theoria hominis sani, scribens: *quare rectiùs meo quidem judicio sentiunt, qui sanitatem in ipsarum partium integritate, & actionum conveniente administratione consistere dicunt.* Non alienæ mentis sententia est celebr. & acuti ingenii viri D. HOFFMANNI in *fundament. Medicinæ* Cap. 3. *de sanitate vita &c.* fol. 11. scribens: fluidæ (nempe partes) *si in decenti temperie, æquabilique motu constitutæ sint, & solidæ quamdiu in decenti configuratione, situ & tono consistunt, corpus ad actiones secundum naturam edendas aptum existit, & sanum est.*

§. VII.

Diximus, quòd sanitas sit legitima atque naturalis dispositio atque constitutio totius corporis; nempe talis constitutio esse debet, qualis naturaliter desideratur, ut exinde effectus naturalis, debita actio resultare queat, vitiatâ enim quocunque modo actione, vel in excessu vel defectu aut depravatione, non sanitas, sed præternaturalis constitutio, adeoque morbus designatur; hæc vero naturalis constitutio radicatur & pro subjecto habet omnes partes corporis, tum fluidas, tum solidas. Fluidæ comprehenduntur fundamentaliter sub sanguine: sanguis constituit liquidum vitale, fundamentale, ex quo reliqui humores prosiliunt, quo naturaliter constituto materialiter vita & sanitas dependet: adeoque qui sanitatem tueri cupit, studeat & conetur sanguinem tueri in naturali quantitate qualitate & motu; quantitas nec excedat, nec deficiat; qualitas atque crasis partium sanguinem constituentium non sit naturæ onerosa; motus non sit ultra naturæ exigentiam excessivus, nec deficiens, si itaque hic fons vitalis naturalis prosapiæ fuerit, & reliqui quasi ê mari scaturientes rivuli, humores videlicet utiles erunt talis indolis, qualis in sanitate exigitur; demum â tali sanguinis constitutione & proficuæ emergent actiones, hinc eveniet cuicunque ætati competens nutritio, & in pueritia ac juventute debita in longum, aut uti in aliis in latum augmentatio. Puberes mares prolifero scatebunt semine; fœminæ

provisæ erunt abundanti succo nutritio pro alendo fœtu, quem vel in utero gerunt, vel quem in lucem ediderunt, & nectare uberum alendus est. Liquidum nerveum, sive spiritus animales & instrumentum animæ pro sensu atque motu exequendo naturaliter procreabuntur. Motus sanguinis quoque universalis circulationis ad naturæ nutum procedet, nam hic revera (exceptis caussis moralibus & paucis aliis, de quibus infra plura monebuntur) utplurimum dependet â naturali & non molesta quantitate atque debita crasi, si cruor videlicet vitalis non sit præternaturaliter viscidus, terrestris, acidus, ♀reus, biliosus placidè pervadit vasa, viscera, eorundemque poros, unde sequitur non tantùm formaliter naturalis nutritio & augmentatio, sed etiam debita sequestratio, & per se ac excretionem partium massam sanguineam deturpantium depuratio; ipsæ partes solidæ exinde nanciscuntur emolumentum, quoniam hæ debitè nutritæ spirituumque influxu tensæ, debitum vigorem ac tonum obtinent, ut quælibet possit suam functionem, uti decet atque exposcit status naturalis, præstare. Liquet ergo jam primarium sanitatis subjectum esse sanguinem, â quo, uti demonstravimus, non solùm reliqui humores utiles scaturiunt, sed etiam tum actiones vitales, tum secretiones humorum inutilium decenter decurrunt atque contingunt; secundarium vero subjectum sunt partes solidæ, sive dictæ continentes, hæ enim, si in utero decenter formatæ, naturaliter figuratæ in numero, positurâ, magnitudine, & debitè compositæ atque unitæ sunt, non facilè legitimè constituto sanguine naturalem perdunt figuram, nisi (quod planè per accidens) ab extrinsecis injuriis labes adducatur per casus fortuitos, quos uti ex Galeno monitum, homo non semper evitare valet: quapropter etiam videtur GALENUS scripsisse Lib. I. de tuenda sanitate: *primum ergo ad præsentium contemplationem pro hypothesi præsumtum esto, sanitatem non esse absolutè elementorum &c. aut debitam convenientiam, quam symmetriam appellant: &c. sed etiam duntaxat, quæ similarium est partium, & alibi demonstravimus:*

mus: nempe sanguinis & seminis. Tandem subjungit: *secundo loco, illud quoque, quod non minus alibi demonstravimus, præsumtum pro hypothesi esto, nempe instrumentalium sanitatem in figurâ, numero magnitudine consistere.* Ponit itaque primò loco causam sanitatis, imo ipsam sanitatem, debitam naturalemque constitutionem quærendam esse in sanguine naturaliter constituto. Secundo demum ait, partes instrumentales solidas debere constitutas esse naturaliter in figura &c. idem affert ETMÜLLERVS Institut. Med. P. 2. Patholog. cum Diag. Progn. Cap. I. fol. 176. scribens: *unde dico, subjectum primarium esse partes contentas, sanguinem & spiritus, quatenus hæc ipsa propiùs vitæ radicem attingunt; Secundarium verò sunt partes Solidæ seu continentes, ut enim vita & sanitas in sanguine & spiritibus radicaliter & fundamentaliter consistunt &c.*

§. VIII.

Effectus sanitatis sunt actiones congruè procedentes secundùm convenientiam ætatis, sexûs, temperamenti; ideo cùm non competat infanti unius alteriusve mensis ambulatio, loquela, &c. tamen infans, si de reliquo se bene habeat, licèt non garrulet, curratque, sanus est: senex, tametsi non ita vegetus sit ad exercitia corporis animique, uti juvenis, sanus est, ideo etiam dicitur, si senex haberet oculos ut juvenis, videret ut juvenis, ætas enim non aliud admittit atque desiderat. De sexûs diversis actionibus, generationis, complexionis, habitûs, per se patet, quòd illæ actiones, quæ solùm maribus conveniunt, fœminis adnumerari nequeant, & vice versa, attamen ambo cæteris consentientibus sani sunt & dicuntur; â temperamento diverso diversæ actiones vel potiùs earundem qualitates tum corporis, tum animi oriuntur. Ita cholerici celeriores sunt in actionibus melancholicis & pituitosis. Sanguinei jucundiores & agiliores reliquis, & tamen omnes incolumes tam diu existunt, quam diu temperamentum non in intemperiem mutatur. Prætereo differentiam actionum vitalium, animalium & naturalium ipsarumque se- & ex-

cretionum, quæ in differentibus temperamentorum subjectis contingit.

§. IX.

Ex his fluit quæstio, an sanitas ipsa in se admittat differentiam gradualem in diversis subjectis, ita ut incolumitas vitæ v. g. *Petri* sit perfectior & excellentior *Pauli*, & per consequens differens, ambo possunt dici sani, in ambobus enim est legitima costitutio tum partium solidarum tum fluidarum, in quibus fluunt naturaliter actiones temperamento ætati convenientes; ad quam respondeo quæstionem, quòd sanitas quà sanitas genericè sumta non agnoscat genericam differentiam, uti GALENUS Loquitur, albedo nivis & candor lactis in se genericè ut alba subjecta non differunt, ubique enim adest candor, cùm tamen candor ratione majus & minus ab ipso candore differat, sic & sanitas ratione gradûs â sanitate differt. Nam, quoniam etiam ipsæ constitutiones diversorum subjectorum excellentiores & imperfectiores sunt utpote causæ sanitatis, sic etiam effectus vel erit excellentior vel imperfectior: sanguinei enim optimo pro conservanda vita & sanitate temperamento fruuntur, quia temperatissimum est; ergo etiam exindè dependens sanitas optima erit, & differens à sanitate phlegmatici, in quo tardior est motus, & qualitas mucosa sanguinis, segniorq; adest se-& excretio humorum inutilium. Qui gaudere potest de optimâ & perfectissimâ constitutione omnium partium corporis, & inde evenientibus actionibus perfectissimè, ille reverà perfectissimè sanus est, & prærogativam habet præ illo, qui quidem sanus est, ast ejusdem sanguis non est temperatissimus, nec partes solidæ ita robore tonico constant, unde & actiones non tam exquisitè, promptè & perfectè succedunt; uti GALENUS quoque hoc assertum ex actionibus confirmat, dicit enim: *siquidem enim nec qui sani sunt omnes oculis æquè cernunt, sed alii perspicaciùs, alii obscuriùs, nec auribus pari modo audiunt, imo hìc quoque magna est in excessu defectuque diversitas &c.* & tandem subjungit: *quare etiam sanitates mul-*

tæ variæque non ipsa communi omnium forma, undè dictæ sanitates sunt vel majoris minorisque ratione inter se dissidentes: FERNELIUS Lib. I. Patholog. Cap. 5. fol. 130. differit. *omnis porro constitutio tum sana, tum neutra, tum ægrota in tres dispertitur ordines &c. optima sanitas, bona sanitas, sanitas levis & parum firma,* tres itaque hic Author admittit differentes sanitatis gradus.

§. X.

Ad differentiam sanitatis spectat ille status, qui â quibusdam neuter, ab aliis medius sivè reconvalescentiæ & decidentiæ vocatur, dum nempe è tumulo quasi resurgens homo â morbo liberatus ad pristinam sanitatem redit, hic quidem non ampliùs ob morbum lecto affixus hæret, sed ob vires prostratas ac exhaustas nec functiones morales nec actiones vitales & animales promptè & exquisitè perficit, hic nec ægrotat, nec perfectè sanus ex actionibus judicandus est, ideo dicitur status medius reconvalescentiæ, quam divisionem quidem atrociter oppugnant alii; cum tamen insignem in praxi adferat utilitatem, nam hic quasi neo-natus roborantibus medicamentis, alimentis eupeptis succulentis refocillandus est, ideo & nos hunc statum, sanitatisque divisionem retinemus cum plerisque.

§. XI.

Alter status decidentiæ majorem involvit difficultatem, ubi homo quoque non ægrotat, se tamen alienum sentit â constitutione illibatâ, uti Germani exprimunt; Ich bin weder gesund, weder kranck, doch ist mir nicht wohl, ich weiß selber nicht, was mir fehlt: dicitur decidentiæ, dum mortalis patitur lapsum virium, & imperfectionem actionum vitalium & animalium edendarum sentit, non tam promptè & perfectè etiam moralibus præesse potest, uti in perfectiori statu præfuit, ingenium hebescit, corpus torpescit, artus languent, mens tristatur, & ad iram proclivior redditur; ex quibus patesit simile subjectum â statu perfectissimo in imperfectiorem decidisse, ideo dicitur decidentiæ, & medius inter sanitatem & morbum in facto, status, qui nihil aliud est, quàm dispositio & inclinatio ad

morbum, sive est morbus in fieri, nondum ita dicendo est morbus efotus, ecubatus: haud absimili statu continuò torquentur hypochondriaci & hæmorrhoidarii futuri ad hæmorrhoidalem excretionem inclinantes, quæ tamen non succedit, hos mutatio aëris gravior, phases lunæ permutant, & alienos â perfectiori statu sanitatis, non tamen ægrotos perfectè reddunt: hinc languore, torpore, imbecilitate afflicti velociter ad calendaria properant, & evolvunt in illis assignata prognostica futurarum aëris mutationum, quapropter & dicuntur barometra viva, Germani dicunt: wir bekommen ander Wetter, Gewitter, Regen, ich fiehls an mir. Videatur præter alios quàm plurimos celeberrimos Authores ETTMÜLLER. cit. L. fol. 175. dicens: *distinguendum est inter statum neutralitatis, decidentiæ & reconvalescentiæ, ille est, cùm homo, sanus percipit quosdam defectus in operationibus &c.* & quis senem decrepitum incapacem & imbecillem ad actiones extrinsecas peragendas exquisitè, credet ùt juvenem robustum sanum intrinsecè constitutum esse? ille quidem non ægrotat, attamen actiones ejusdem tardè & minùs perfectè procedunt; ergo in minorem gradum sanitatis vel potius decidentiæ locandus est, quapropter rectè dicitur *senectus ipse est morbus:* licèt verò GOTHOFRED. MOEBIVS in fundam. Med. Physiolog. Cap. IV. de Sanitatis natura §. 26. eludat: Statum medium sanitatis, & dicat *neuter status proinde maneat neuter & valeat*, ex fundamento quòd ARISTOTELES hujus non meminerit, & SENNERTVS suum calculum addiderit, dum scripsit, *quòd si rem exactè æstimemus, nulla datur media dispositio â sanitate & morbo specie differens;* demum, quia tantùm duæ partes Medicinæ dantur, una sanum corpus conservat HYGIENE dicta, altera morbosum curat nuncupata THERAPIA; quâ de causâ etiam subjungit GALENVS duplices intemperies statuit, naturales sanitatis, & morbi præternaturales, & ita videtur non respexisse GALENVM ad statum medium, qui verò abundanter Lib. I. de tuenda sanitate non solùm hunc

statum

ſtatum confirmavit, ſed etiam variis argumentis corroboravit; quod attinet ARISTOTELEM, reſpondeo, me nulli addictum authoritati, amicus mihi eſt PLATO, & amicus ARISTOTELES, magis tamen amica eſt veritas: verum eſt, uti meminit ETTMÜLLERVS in rigore theoretico & diſputatorio, hic ſtatus, ut immunis evadat, ſolidam & ſagacem requirere defenſionem, interim tamen, cum emolumentum præſervatorium præbeat, ne videlicet ægrotus ad morbum inclinans & diſpoſitus in eundem labatur, vel à morbo liberatus in hunc vel illum recidat, & ſenex a celeriori obitu roborantibus medicamentis, alimentis evpeptis præſervandus ſit, ideo & meritò ſtatus medius admittendus eſt: *turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſtis.*

§. XII.

Pars Medicinæ Principalis HYGIENE ſanitatem conſervans, ſex utitur collectivè inſtrumentis, quorum uſus genericè *Dieta* audit, & vocantur res non naturales ſequenti modo Aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigiliæ, Animi pathemata, excreta & retenta, has oportet legitimè impendere, ſi ſanitas conſervari debeat, ut verò pateſcat modus impendendi, deſcendimus ad earundem pertractationem.

§. XIII.

Cùm receptum ſit in Scholis Medicis, quòd aër inter res non naturales primum Locum occupet, ideò etiam de eo primò differemus, ejusdemque qualitatem enucleabimus, quæ vel in conſervationem & eligenda vel deſtructionem humanæ ſanitatis, & fugienda eſt tendit; quantæ verò utilitatis imo neceſſitatis ſit pro continuanda vita conſervandaque ſanitate aër, quotidianus loquitur eventus, quæ tanta eſt, ut nec per aliquot pauca momenta eo in totum carere poſſimus: hoc enim flexili ſeducto elemento corruit ſolidiſſima hominis Machina: quapropter SENNERTVS non erubeſcit ſcribere, *aëre nè momento carere poſſumus.* L. II. de Febr. Cap. 9. vid. HIPPOCRATES de Flatibus, ubi ſcribit; *à cibo potuque ad 2. 3. & plures dies, ab*

aëre verò non tam diu abstinere possumus &c. vid. & GALENUS L. I. & *Morb. Causis.* Cap. 3. denique satis superque experimenta physica in antlia pnevmatica exercita exhibent, quòd animal inclusum vitro, dictæque machinæ apposito statim pereat, si aër subtrahatur, & ad vitam redeat, sin maturè ille admittatur, non verò solùm vitam, sed & sanitatem conservat, uti monet GALENUS Lib. IX. Method. Medendi, *sine aëre nec tolli nec teneri potest sanitas.* Ut verò effectus sanitatis clariùs patescant, solent non abs utilitate Medici primas qualitates aëris primo adferre & exinde deducere activitatem virtutesque incorpus humanum. Secundò examinant quæ illi immixta sunt, quibus nempè infertus sit effluviis, exhalationibus indagant: juxta hanc normam quoque nos procedemus; & intelligimus, dum id instituimus, aërem illum qui nos ambit, nostraque corpora tangit: nec necessarium censemus vel definitionem vel distinctionem ipsius annotare, hæ enim Physicis patent, & ubi physicus desinit, ibi Medicus incipit, adeoque potiori fine utpote Medicus perscrutabor, quali modo aër nos arctè, atque constanter cingens vel emolumentum vel detrimentum nobis adferat.

§. XIV.

Antequam aërem secundùm qualitates primas consideramus revocandum est in memoriam suprà à nobis monitum, quòd videlicet optima sanitas consistat in optima, præter solidarum partium constitutionem, humoris vitalis quocunque modo spectatâ temperie, jam itaque aër pro sanitate conservandâ contribuit, sin hanc temperiem naturalem coadjuvat & non pessundat, omnis verò temperies excludit omnem extremitatem sive excessum, alias enim evanescit temperies, & intemperies exoritur; ex his sequitur aër temperatus & proportionatus temperamento, consuetudini ætati sanitatem conservat, intemperatus lædit: moderata durant, temperata conservant: primus propriè nostro inservit scopo, & pertractandus est.

§. XV.

§. XV.

Demum pro conſervanda ſanitate notanda eſt aëris, differentia petita â loco, tempore, mutatione, univerſali & particulari. Temperatior perflat corpora in Gallia, calidior & ſiccior in Italia, purior & ſerenior in montibus & ſylvis, ſpiſſior in locis paludoſis, fluvioſis, maritimis; frigidior tempore hyemali ferit corpora, calidior exæſtuat æſtivus & canicularis, mediô tangit modô pectora vernalis & autumnalis â qualitate non ab effectu recipientis deſumtus: mutatur circa ſolſtitia, alteratur circa æquinoctia, characteriſânt eundem eclypſes ſolis & lunæ, aliorumquè ſyderum motus atque influxus diverſus: haſce univerſales mutationes, quæ ubique locorum omnique tempore contingunt, homo evitare nequit, ſed patienter exindè dependentem noxam perferre cogitur. Ideò paucis potiùs eas tangemus, quæ evitari aliqualiter poſſunt, & ita imminentia ſanitatis pericula avertemus.

§. XVI.

Injuriæ aëris â loco dependentes & evitabiles ſunt ſequentes; primò ſunt univerſales, & in extenſa regione ſpectatæ, quæ cuilibet in illa viventi occurrunt, hinc ſi illius climatis aër improportionatus ſit conſtitutioni, non aliter quàm fugitivè evitandus eſt: alia nempe regio quærenda, in quâ aër ſpirat ſuo genio, ſive temperamento ſalubris. Semper verò talis mutatio debet eſſe moderata & fieri per medium, omnis enim extremitas naturæ eſt nociva, & abhorret ſinè medio ſaltum. Ideò ex locis frigidioribus tranſire in extremè calida periculoſum eſt, uti & HIPPOCRATES dicit: *omnis mutatio (nempe vehementior & extrema) eſt periculoſa.* Quod fuſiùs in ſequentibus pertractabimus. Utiliter verò fit alia electio aëris univerſalis, ſi cholericus migret in locum temperatum, in quo aër temperatior & frigidior eſt illo, quem in loco actu haurit; phlegmaticus & melancholicus ſuæ ſanitati proſpicit, ſi in locum aëre ſubtiliori & calidiori præditum tranſeat: ſanguineus ſuam conſervat naturalem conſtitutionem, ſi aërem nimis tempera-

tum, & balſamicis, nutritiis quaſi particulis abundanter infertum evitet, unde etiam quidam aërem nominant *cibum occultum:* de omnibus hiſce notandum eſt, quòd aër juxta primas qualitates agat, & ſuam vim ac indolem corpori imprimat, calidus aër reddit cholericos, auget nempe tranſpirationem tam in- quàm ſenſibilem, humidumque exhaurit, nec non ſanguinis motum accelerat, & eundem exæſtuat; inde facilè locò temperamenti cholerici inducitur intemperies ſeu cacochymia bilioſa, hæc præſtò morbos parit, hinc cholericis quærendus aër temperatus, & non ad calorem exceſſivum inclinans. Frigidus & humidus aër phlegmaticos & melancholicos parturit, quatenus ſecretiones humorum ſeroſorum & aliorum pro conſtitutione temperamenti per poros cutis impedit, ſanguinis motum retardat, & inde humores ſeroſi accumulantur & ſpiſſescunt in phlegmaticis, in melancholicis verò acidi retinentur & augentur; & ideò ex temperamento fit intemperies, ex hac morbus propullulat, adeòque affectent hi aërem calidiorem & ſubtiliorem. Sanguinei temperamentum quidem eſt temperatiſſimum, non raró tamen in intemperatum decidit, ſi ſanguinis quantitas tolerabilis in inſupportabilem pervertatur, quod ſub certis climatibus V. G. Gallia contingit, ideo & tantoperè venæ ſectioni largiori favent Gallorum Medici ad imminuendam ſanguinis abundantiam ſive Plethoram; ne itaquè hi incidant in morbos â Plethora oriundos, in aëre ſubtiliori verſentur, ut largior excretio inſenſibilis conſtanter & largiùs perduret, & ſerum proportionaliter imminuatur. Ita loquitur GALENUS L. I. de tuenda ſanitate: *aër calidus frigidis temperaturis, frigidus calidis, humidus ſiccis magis convenit.* Dum verò hoc adnotamus, minimè id de omnibus ſub uno climate viventibus intelligimus, nam & in aëre intemperato temperata reperiuntur temperamenta, ſed ſolum de illis, qui locò temperamenti ab aëre intemperiem reportant, & ad morbos inclinare videntur, ſæpiùs ægrotant & exprimunt: Die Lufft ſchlägt mir nicht wohl hier oder an jenem Orth zu: his aëris mu-

tatio

tatio conducit, imo necessaria est; quod assertum experientiâ corroboro quotidie eveniente; nam Erfordienses vel alii phlegmatici & melancholici, quorum multos nosco, Moguntiam vel in alium distantem locum calidiorem proficiscentes ibidem saniores & agiliores pauco temporis spatio redduntur: alii Moguntini continuis morbis oppressi & valetudinarii hic Erfordiæ refocillantur & sanitati restituuntur, quem effectum non aëri, nî fallor, sed potulentis vino rhenano & acidulis quidam adscribunt, ast ille cholericus & siccæ constitutionis, qui Moguntiæ erat valetudinarius, idem vinum cum iisdem acidulis jam Erfordiæ bibit & tamen sanus est: imo qui Erfordiæ valetudinarii existunt, & Moguntiæ refocillantur, bibunt idem vinum hic, quod ibi, potârunt, adeoquè non sola mutatio ex potu, sed potissimùm ex aere accessenda est, noster enim frigidior est aere moguntino, ideò Moguntinis cholericis ad biliosam intemperiem inclinantibus præ illo conducit, moguntinus verò calidior, subtilior, ergo & phlegmaticis & melancholicis tam Erfordiensibus quàm aliis similis regionis ex allatis rationibus erit salubrior & convenientior. Huc illud edictum HIPPOCRATIS Lib. de natur. human. applicari potest: *aërem, morbi alicujus grassantis causam tum statuere oportet, cùm homines diversâ victûs ratione utentes eodem morbo corripiuntur.*

§. XVII.

Aer â particulari loco desumtus, est ille, qui in urbis, arcis, oppidi, fortalitii, pagi, domûs situatione diversa, diversis impletus est miasmatibus: aer commune vaporum & exhalationum receptaculum est, si exhalationes salubres sunt & balsamicæ, talis & aer redditur; hæ exhalationes proveniunt tum ex terra & aqua, herbis, fruticibus, arboribus, tum ab ipsis hominibus eorundemque excrementis. Illa itaquè urbs cum dictis locis præbet optimum habitaculum salubre, quæ sita est in loco erectiori, & circumdata sylvis, hortis, pratis, non cincta est paludibus fœtidis, putridis, terræ fodinis metallicis evomentibus quasi perpetuò vapores nocivos: & afflatu aeris liberioris gaudet, & numerosâ hominum copiâ non infarcta est, â quo-

rum excrementis putrescentibus aer putridus efficitur. Ad exhalationes spectant effluvia carbonum ligneorum & fossilium ignitorum, calcis vivæ, ipsiusque croci, arboris juglantis, musti, cerevisiæquè fermentantis &c. nam ingens farrago illorum adduci posset, qui â dictorum effluviis & mediante aere communicatis, vel morbis oppressi vel planè extincti sunt, taceo effluvia contagiosa & morbosa aeris adferre: vid. KIRCHER. *Tractat. de Peste.* OLEARIUS *in Itinerar. Persic.* WEDEL. *in Pathol. Medic. Dogmat.* Sect. 2. Cap. IX. de causis morborum remotioribus fol. 293. & seqqu. ad aerem loci particularis spectat ille, qui in qualibet domo ejusquè cubiculis est obvius, nam ab ibidem contentis impuris quoquè varias attrahit impuritates; hinc dicit WEDEL. citat. loc. *quòd domus lapideæ & saxeæ insalubriores sint lignosis*, cùm illæ sint frigidiores & humidiores, unde & talis aer oritur, qui poros cutis constringit & secretionem impedit, manifesto exemplo dum tempore hyemali continuô sudant parietes: aer in cubiculis diu clausis putridus redditur, ideò illa aperienda sunt & suffimigiis balsamicis aer in iisdem contentus corrigendus est: ratione situationis & domus cum cubiculis aeris diversitatem producit: hæc salubrior est domus, quæ versus meridiem vel orientem locata est, quàm illa, quæ occasum respicit & quasi perpetuò umbrosa existit; cubicula altiora puriori scatent aere, ergo & salubriora sunt. videatur GALEN. L. I. de tuenda sanit. AGINET. L. I. C. 49. FUCHS. in instit. Med. PARÆUS in introduct. ad Chirurg. Cap. 13. dum ait: *Saluberrimus est aër, qui tota sua substantia & essentia purus, nitidus, tenuis, patens & liber, nullis inquinamentis nec putredine infectus, nullo vapore malo, aut fuligine, crassitie aut corruptela perfusus fuerit, quique lenibus & suaviter spirantibus ventis difflatus, modicè agitetur, & serenitate multa redundans spiritus nostros recreet.*

§. XVIII.

Mutationes aeris universales ratione loci & temporis jàmdum tetigimus, jam restat adhuc quasdam alias adducere quæ subito contingunt, uti dicit HIPPOCRATES: *mutationes temporum*

porum maximè pariunt morbos Sect. III. Aphoris I. dum videlicet excessivè calidus aer extremè frigidum vel siccus extremè humidum sequitur, & vice versa: tales mutationes loquente quotidiana experientia sanitati hominis nocivæ sunt, quas in totum verò evitare non possumus, sed solummodo aliqualis evitatio in nostrâ potestate est, dum nos aeri frigidiori, humidiori, austrino ventoso-frigido saltem longo tempore non exponimus, &, si tamen necessitas urgeat, oportet, ut corpus perspirabile vestimentis probè defendatur & transpiratio conservetur: æstuante syrio loca umbrosa colliquationem seri nimiam impediunt & sanitatem conservant. Si corpus radiis solis urentibus expositum sit, caput tegatur: calor igne causatus vehementior vitetur: aer frigidior & humidior externus temperetur calefactione cubiculi, sic sanitas perennabit. Mutatio aeris ê cubiculo calidissimo in frigidissimum locum â voluntate hominis dependens omnium maximè nocet, & sanitati contraria est, ideò angue pejùs fugienda est. Ultimò consuetudini quid tribuendum est, hæc enim altera natura dicitur, cernimus enim homines in regione intemperatissimâ incolumes esse, & sæpè Medicos pro recuperanda sanitate amissa aerem patrium locò remedii præscribere, quæ ex alia regione aeris patrii electio maximè illis proficua imo necessaria est, qui è loco caildiori in improportionatè frigidiorem migrârunt, hisce inculcandum est naturam saltum non sufferre; ratione temporis diurni, ut plurimùm ob nimiam humiditatem transpirationem in- & sensibilem impedientem summè matutinus & nocturnus evitatur, & è contrario reliqua diei tempora pro constitutione aeris & solis temperati eliguntur.

§. XIX.

Ex præcedentibus inclaruit, quòd sanguis debitè constitutus meritò sit fundamentum sanitatis secùndum §. VII. adductas rationes, ideò etiam meritò eò respiciendum est, ut ille conservetur incontaminatus quoàd quantitatem, qualitatem atque motum: id verò omnium primò optimè perficitur, si ad ejusdem materialem scaturiginem descendamus, & ibidem sordes eundem turbidum & fœculen-

 tum

tum efficientes amoveamus & impediamus: eſt verò illa ſcaturigo prima chylus, ideò & dicitur *qualis chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis ſanitas.* Adeoque ſi chylus ſit naturaliter conſtitutus, & ipſe ſanguis talis erit, & è contrario: ille verò materialiter promanat ab alimentis & potulentis, hinc ſanitatem conſervare volenti incumbit ſcire, in quali quantitate & qualitate, utendi modo, illa pro refectione & elaboratione chyli aſſumenda ſint, non ignoramus tamen & ventriculi actionem pro conficiendo chylo concurrere, videlicet præternaturaliter illo conſtituto, etiam illegitimus & crudus oritur chylus, cùm verò ille ſtatus non ad noſtrum jam forum, ſed ad Therapiam ſpectet (idem etiam valet de aliis viſceribus quibuscunque & quomodocunque præternaturaliter affectis quæ tum elaborationem chyli naturalem turbant tum ſanguinis craſin debitam in dyſcraſiam vel cacochymiam dejiciunt) ideò de hiſce pro nunc non agemus, aſt unicè demonſtrare intendimus modum præſentem ſanitatem conſervandi in corpore actu ſano: hinc oritur vera ſequela, ſi ventriculus cum reliquis viſceribus legitimè ſit conſtitutus, & bonorum alimentorum debitus uſus ſervetur, laudabilis proſcaturit chylus, & qualis hic talis ſanguis, talis ſanitas.

§. XX.

Ut à cibo & potu fractæ vires refocillentur & nova materia ſanguini laudabili ſuppeditetur, ſemper primò attendenda eſt quantitas alimentorum, ne vel excedat vel deficiat, omnis exceſſus nocet; *omne nimium naturæ inimicum eſt. Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad labores*: ait HYPPOCRATES. & FUCHSIUS *in inſtitut. L. 2. Cap. 3. Lex hæc perpetua ſanorum eſto, ne immodicè cibos ingerant &c.* deficientem quantitatem cibi quoque ipſe prohibet HYPPOCRATES Sect. 1. Aphoris. IV. *Quâ de causâ & ſanis periculoſæ ſunt valde tenues conſtitutæ & accuratæ victûs rationes, quoniam peccata moleſtius ferunt &c.* & WEDEL. in Pathol. Med. Dog. citat. Sect. fol. 305. dicit. *Nihil abſurdius eſt, quàm inedia intempeſtiva defraudare corpus ſuum genio &c.* quantitas ergo

sit in medio constituta, & accuratè proportionata subjecto, quod multiplex est ratione ætatis, sexûs, vitæ generis, consuetudinis. Tenelli enim infantuli non solùm aliam exposcunt cibi quantitatem & qualitatem, quàm adultiores, sed etiam aliarum rerum non naturalium pro eorum conservanda sanitate & fundamento futuræ vitæ incolumis ponendo diversum desiderant usum. Ideò recenter nati balneo aquæ dulcis vel etiam herbis cephalicis & V. immixtis calide â sordibus externis purgandi & mundandi sunt, quod balneum etiam frequentiùs per unum alterumve mensem frictione cutis cum linteamine vel alio asperiori panni frustulo matutino tempore continuari debet. imo GALENUS balnea ad tertium quartum annum & ultrà recommendat. Mæconium ex intestinis syrup. rosf. solut. vel de cichor. cum Rhab. vel ipsa rad. Rhabarb. ad gr. I. vel 2. exhibita eliminandum est. Fasciis calidis laxe involvendi sunt, & in lectulis, calore temperato sunt fovendi, & lacte matris vel nutricis sanæ unicè in principio ad aliquot dies sunt nutriendi, qui usus etiam ad integrum annum immixtis aliis continuari potest, attingentes quintum vel sextum vitæ diem pulte parata ex mica panis similaginei sicci, vitello ovorum & lacte vaccino vescantur, dum adultiores fiunt, & brodio Gallinarum, caponum vel pane butyro illito aut alia carne salubri masticatis, humidioribusque mediante saliva redditis refici possunt; salivà enim humefacti cibi faciliùs in ventriculo digeruntur, & in chylum transmutantur, cum jam semi resoluti sint: accrescentibus annis & solidiori corpusculo reddito etiam in largiori quantitate solidiora præbenda sunt alimenta. Quantitas verò non sit continua, ut quasi toto die edant, ventriculus enim pro coctione & digestione indiget mora, Germani exprimunt tales voraces lupulos quasi: er ist den Tag nur einmahl: sed discreta, quæ partitis vicibus perficitur. Jam oritur quæstio, quoties de die infantibus pueris & adolescentibus porrigendus sit cibus? secundùm communem opinionem respondemus, infantibus adhuc sugentibus sufficit,

ficit, si bis circa meridiem & noctem aliquid pultis præbeatur, cùm â lacte sanæ nutricis sufficienter nutriantur, reliquis ter vel quater cibus porrigatur manè scilicet, circa & post meridiem & cœnæ tempore ; in his enim duplex quasi nutrimentum necessarium est, pro nutritione nempè & auctione corporis. In ætate consistente verò sufficit prandium & cœna, exceptis illis, qui vitam in laboribus & exercitiis corporis durioribus agunt. Senes *juxta Hyppocratem Sect. I. Aphoris. I. XIII. minori quantitate pabuli contenti esse debent ob deficientem calorem.* & MOEB. *in institut. Med. dicit Cap. 5. de Diæta senum fol. 449. senes non comedant nisi esuriant, jejunium enim ferunt facile, ex* HIPPOCRATE. His verò & in aliâ ætate constitutis semper aliquid juxta consuetudinem concedendum est, sin assueti sint lautiori vel frequentiori se delectare prandio prandeant, &illis etiam conducet secundùm assertum HIPPOCRATICUM *Sect. 2. Aphor. L. quæ multo tempore consueta sunt, quamvis pejora non consuetis, minùs molestare solent, oportet igitur & ad insueta permutari.* Liquet ergò, quòd moderata&sufficiens quantitas discreta cibi materiam chyli laudabilem præbeat, ex quâ demum nutritius sanguis exoritur: demum exposcent nonnulli certum determinatumque quantitatis alimentorum pondus pro restituendo nutrimento, quod per labores corporisquè actiones subtractum est, quibus verò pro illo pondere accommodatam lancem porrigere non possumus, quis enim tot mille hominum constitutiones, consuetudines, & vitæ genera exactè tali succincto opere disputatorio comprehendet? Ipse Princeps Medicorum hanc difficultatem jam agnovit, & dixit de Prisc. Med. *ciborum quantitatem neque pondere, neque numero metiri licet, sed certitudinem exactam aliam non reperies, quàm corporis sensum.* Quilibet quantitatem convenientem ciborum suæ constitutioni pro servanda sanitate â semet ipso desumat, non plus comedendum, quàm natura perferre & ventriculus digerere valet. Nunquam usque ad gulam infarciendus est ventriculus; Germani dicunt: Das man es mit dem Finger im Halse ergreiffen könnte;

sed

ſed ita cibandum, ut adhuc portio cibi locum inveniat in ſtomacho, uti dixit HIPPOCRATES: *Sanitatis ſtudium cibis non ſatiari.* Nunquam ad pleniſſimam ſatietatem cibi ingurgitandi ſunt, ventriculi enim tonus ob nimiam expanſionem læditur, & ſanitas ob evenientes cruditates, chylumque impuriorem offenditur.

§. XXI.

Quantitas ciborum proportionata & innocens conjuncta qualitate nocivâ morbum cauſat, quapropter non immeritò ejusdem mentio & electio facienda eſt; ante omnia verò qualitates alimentorum genericè tangendæ ſunt, quæ deſumuntur â duplici regno animali & vegetabili, quæ Medicis ex diverſis rationibus dubia movêre, an cibus ex animali vel vegetabili regno petitus homini ſit ſalubrior, cùm verò litem hanc conſuetudo & mos ſolvat, & limites pagellarum diſputationis ex more transcendere non liceat, ideo brevibus concludo juxta NENTERVM & alios convenientiſſimum fore, ſi alimenta ex duplici regno electa interpolatim & mixtim edantur, ne ex continuo unius ejusdemquè eſu nauſeâ afficiamur: varietas delectat, & gula delectatur varietate alimentorum. Sepoſitis hiscè genericis ad particularia nos convertimus, & percurrimus modum præparandi cibos. Ex regno animali enim vel aſſantur vel coquuntur; aſſati ſicciores & minùs nutritii ſunt, cocti & ſuccoſiores & opulentiùs nutrimentum cum brodio maximè, in quo gelatina latitat, præbent: illi phlegmaticis & ſeroſioribus, hi cholericis & ſiccioribus ſuadendi ſunt; ambo tamen absque noxâ recommendari poſſunt. Præparantur & carnes macerando in aceto vel ſale Germ. eingeſalzen Fleiſch, vel addito nitro aromatibus fol. laur. bacc. Junip. caryoph. &c. Päckel-Fleiſch vocatur Germ. ſalitæ carnes aeri vel fumo exponuntur & exſiccantur. Confecturas has pro quotidianâ eſcâ non approbamus, cùm partim ob aciditatem & ſalſitatem, ſiccitatem chylus vel reddatur nimis acidus vel nimis ſalſus, vel ſpiſſus & deſtituatur ob ſiccitatem particulis lymphatico-gelatinoſis: conficiuntur

D &con-

& conduntur carnes variis brodiis & præparaturis ex Gallorum culina desumtis quæ conduturæ admitti possunt, si non contraria sibi admisceantur v.g.acida dulcibus &c.idem esto dictum de piscibus fumo exsiccatis, hi aliunde pauciori pollent gelatina substantiali, ideò minùs nutriunt, exsiccati qualicunque modo difficiliùs digeruntur, & adhuc magis succo alimentoso privantur, etiam facilè ventriculi tonum relaxant & calorem imminuunt; quapropter ex culina proscribendi potiùs, quam præscribendi sunt quotidie, si tamen similes cibi gulæ arrideant, sit eorundem, nisi in assuetis, moderatus, non quotidianus usus. Electio quoque fit carnium ex animalibus tum domesticis tum sylvestribus: ex domesticis caro bubula solidum nutrimentum largitur, difficilis verò concoctionis est, ideò reconvalescentibus & debilioris ventriculi hominibus non, sed ejusdem jusculum porrigi solet; huic succedit vitulina succosior & facilioris digestionis, cui propè accedit Gallorum caponum & pullorum caro; suilla quidem abundat copioso humido nutritio, quod verò viscedine excrementitiâ refertum est, ideò nutrit & lædit, efficitque humores viscidos & secretiones impedit, quapropter salubrior est hominibus, qui fortiùs corpus exercent, quorum sanguis ob fortiorem motum continuò conquassatur, & in tenuitate conservatur. Agnina & hædulina pari passu ambulant, postponuntur vitulinæ & pullorum carni, anteponuntur suillæ; Gallinæ, gallique Indici bonum laudabilemque exhibent succum nutritium. Sequuntur columbæ, anseres & anates, horum carnes ob siccitatem difficilioris sunt concoctionis, pauciusque largiuntur nutrimentum. Ex sylvestribus capreoli caro ferè est optima, sequitur cervina quæ siccior, aprorum caro cum domesticis multùm convenit; ex avium genere alauda, phasianus, perdix laudem merentur, omnium verò animalium virtutem nutritiam exactè de- & conscribere ingentem exposcit paginarum farraginem, ideo hisce acquiescere consultum duco, & ultimo moneo, quòd ex domesticis non castrata animalia minori scateant succo nutri-

tio,

tio, quia lympha gelatinoſa atque nutriens in liquorem ſeminalem multum impenditur, juniorum carnes præ ſeniorum nutriunt. Ex regno vegetabili omnibus præferendus eſt panis ex tritico & ſecali paratus: vid. *Diſſert. Ex. D. Præſid. de Pane &c.* ex leguminibus hordeum, avena, oryza, milium excorticata in jusculis commendanda ſunt: lentes verò piſa, fabæ è culinâ maximè literatorum eliminanda ſunt, ſpiſſior exindè & obſtruens chylus promanat: aliud in aſſuetis & laborioſis, vel ſi in minori quantitate ab aliis aſſumantur, ſentiendum eſt; modicum non curat Prætor: lactuca, endivia, cum carne vitulina vel alia cocta cholericis ob aquoſitatem conducit, phlegmaticis nocet: Braſſica, Spinachia, rapæ &c. ob copioſum humidum debilitant ventriculum & inferunt colicam, diarrhæam, ſi modicè tamen uſurpentur, conducunt; ſemper attendenda eſt quantitas, abuſus non tollit uſum. Lac nutrit moderatè aſſumptum: caſeum det noverca manus pro ſupplemento menſæ.

§. XXII.

Tertiò modus utendi & aſſumendi attendendus eſt, ne ſclicet caninâ gulâ alimenta ſinè ſufficienti maſticatione & comminutione deglutiantur, maſticatio enim eſt principium chylificationis. Sub alimentis continetur & potus, hic ſiti appetitur, ut humidum deficiens reſarciatur; ut verò id commodè fiat, certa quantitas ſervetur liquidi, ne corpus inundetur & ſanitas ſubmergatur; illa commodè juxta ætates determinatur, infantes & pueri utpote humidiores, quorum ventriculus laxior, non indigent largiori humido; pueri & adoleſcentes potum hauriant copioſiùs, calor enim ſucceſſivè augetur, & humidum ob exercitia corporis animique vehementiora plùs evaporatur: Juvenes & viri calidiores fiunt vehementioraque corporis atque animi ineunt exercitia, humidum in liquorem ſeminalem impenditur, ideo & ſicciores exiſtunt, & humidum magis deficit. Senum calor ordinariè decreſcit, & humidum increſcit, ideò non tanta ejusdem reſtitutio eſt neceſſaria. Ratione ſexûs viri calidiores & ſicciores, fœminæ â naturâ humidiores, ideò in illis plùs, quam in his deficit & abſumi-

D 2 tur,

tur, unde & illi plùs quàm hæ potum amant. Ratione temperamenti eadem eſt ratio; cholericis atque ſiccioribus melancholicis largior indulgendus eſt potus quàm phlegmaticis: ſanguinei medium teneant, ita erunt beati & temperatum ſanguinem pro mercede reportabunt. Diverſitas temporum anni potûs quantitatis pondus eſt, æſtate plùs quàm hyeme potus deſideratur; vitandus verò probè eſt exceſſus, ne unà cum intentione refectionis natura obruatur, quod helluonibus ſanè & Bibonibus accidit, qui plus exceſſu potûs quam amœnitate ſanitatis delectantur. Sanitas eſt præmium ſobrietatis, infirmitas flagellum ebrietatis, ideò rectè dicit HELMONTIUS *Sobrietas totius diætæ cardo eſt*: conſuetudini quoque uti de cibo adduximus indulgendum, dummodò exceſſus evitetur: Determinatum potûs pondus ob differentiam ſubjectorum definiri non poteſt, ſed quilibet, quantum perferre valeat, & ſanitati conducat, ſedulò ſecum animo perpendat.

§. XXIII.

Qualitas potulentorum dividitur ſecundùm differentia mixta, ex quibus potus eligitur; primum omnium elementum potûs eſt *aqua*, quæ primis mundi temporibus abſque dubio unica materia potus erat, noſtris verò faucibus vilior, & pro reficiendo corpore inſufficiens cenſetur; ideò etiam aquæ quaſi compoſitæ & frumentaceæ magisque nutritiæ parantur: Quod tamen aquam ſimplicem concernit, illa â GALENO pueris & adoleſcentibus unicè pro potu præſcribitur, ejuſdemque bonitatem deſumit â loco & ſapore: locus ex quo ſcaturit mundus & purus eſſe debet, meatus verſus orientem ſitus, vel per terram puram tranſcolanda eſt: guſtu ſit ſuavis & expers alieni ſaporis, præcordia uti ille loquitur, celeriter permeet, id eſt non gravare debet ventriculum, vel ſecretionem urinæ retardare: excluditur itaque actu vel potentiâ frigida, ex petris proſiliens, rejicitur pluvialis, nivea, glacialis, paludoſa & putrida, fontana econtrà & pura eligitur. Si aqua ita conſtituta ſit, cholericis quandoquè maximè [illegible] exæ-

exæstuantibus, & magis adhuc sanguineis, ne in plethoram incidant, convenit; phlegmaticis nocet, melancholicis ad atram bilem inclinantibus pro diluendis humoribus acribus quoque conducit. Pro quotidiano usu, exceptis paucissimis ob consuetudinem vel nativam vel acquisitam, non solet ordinari, cùm pauca polleat substantia gelatinosa, quæ tamen pro corpore lassato, viribus exhausto humidoque nutritio privato resarciendo maximè necessaria est, ideò uti monitum composita & frumentis impleta eligitur, quæ vocatur cerevisia vel hordeacea, triticea, vel avenacea. Triticea præ cæteris substantiosum præbet succum nutritium & est calidior, hordeacea minùs nutrit, avenacea, cùm aliàs substantiâ nutritivâ multùm careat, & ob gravedinem & turbulentiam capitis quam inducit minimè in usum trahitur; igitur hordeacea utpote valdè temperata hisce in locis pro quotidiano usu impenditur, triticea verò humidioribus & frigidioribus proficuum poculentum exhibet. Præparatio jam restat materiæ, quæ cum aqua cerevisiam constituit, & quæritur: an frumenta germinata tostione vel exsiccatione aërea salubriorem cerevisiæ præbeant materiam? ex tostis, frumentorum, granis substantiosior & calidior quoad effectum elaboratur cerevisia, durioribus laboribus deditis hominibus & phlegmaticis conveniens; altera est dilutior & in effectu frigidior, hinc si ventriculus consentit cholericis & siccioribus sedentariæ vel otiosæ vitæ deditis competens. Ventriculo debili & constitutioni sicciori prospicitur, si tertia vel media pars granorum tostione paratorum, exsiccatis aëre commisceatur. Denique cerevisia sit benè cocta & lupulata, non nimis tamen, aliàs caput somnolentum efficit, non adeò recens & benè defecata, nec nimis vetusta, ubique medium tenuêre beati. Alterum potulentorum genus constituit *mustum & vinum*: illud pro usu quotidiano ob vim fermentantem & mucosas fæculentasque particulas non inservit. Gulæ quandoque quid indulgendum est; Vinum verò utplurimùm potiùs materia est, & quotidiè assumitur, rarò tamen alio

 aquo-

aquosiori potu totaliter, exceptis ex quâcunquè causa assuetis, carere possumus, ideo tertia pars aquæ simplicis vel acidulatæ affunditur, & efficitur temperata mixtura: pituitosis & melancholicis & ventriculo debilibus conducit, vinum enim vires valdopere corroborat, hilaremque reddit animum, moderatus ejus usus semper salubris, excessivus semper nocivus. Electio etiam fit â solo, his in locis Rhenanum & moselanum aliis præfertur, bibantur non nimis recentia & feculenta, nec adeò vetusta & activiora Vina M. S. facilè in motum naturæ onerosum commoventia. Si vero ventriculus sit debilior & activius prodest Vinum, & loco medicamenti assumi potest: idem etiam de aliis vinis exoticis hungaricis & calidioribus monemus: nam non assuetis in largiori quantitate hausta morbos inferunt; senibus bonum vitrellum COS: conducit, est enim lac senum, infantibus lac sugentibus venenum, pueris & adolescentibus intemperiem biliosam inducit, eosdemquè exsiccat; juvenes & viros â laboribus corporis, animiquè delassatos recreat, exhilarat & confortat: fœminis turgescentiam sanguinis facilè largior V. potûs inducit, moderatus verò prodest. Ex vino demum alterum resultat utile, spiritus nempè ejusdem, â quotidiano usu plane eliminandus, minor tamen portio phlegmaticis, aut sub climate frigidiori viventibus, aut indigestibilibus cibis assumtis, concedenda est. Quod attinet illas artificiales potiones ex herbâ Thee, baccis Coffee & Chocolada paratas, cùm absque illis incolumes esse valeamus, si regimen diætæ debitè instituatur, lubenter illarum fusiori explanationi supersedeo. vid. auth. qui ex professo de illis scripserunt. Potus non sit nimis frigidus.

§. XXIV.

Si ab alimentis potulentisque utilitatem capessere, chylumque nutritium reportare cupimus, modus utendi attendatur, quò referimus tempus assumendi, ut nempe jentaculum post labores assumatur per unam alteramve horam peractos: exemplo sint nobis operarii, qui non sub diluculo se, sed post præstitos labores atque exhaustas vires

res

res reficiunt: tempus cœnandi non ſit media nox, ne dicam matutinum, perverſo naturæ more inductum, inde non ſolum febres reſultaſſe notum eſt, ſed etiam Authores ex potu nocturno aſſueto ortam phtiſin adnotarûnt. Bruta abſtinent nocturno tempore ab alimentis & quiete fruuntur, cur homo quiete nocturnâ â Deo naturâque deſtinatâ pro reſtaurandis viribus ſui corporis carere cupit? Omnia tempus habent, tempus edendi, tempus dormiendi. Debitus utendi modus conſiſtit in ſufficienti maſticatione, ùt dictum, hæc enim alimenta præparat & ſolvit pro futura chyli elaboratione, non probè maſticata & deglutita duriora in ventriculo ad multos annos ſæpè aſſervantur & producunt morbos chronicos, ideo HORNIUS *in arca Moſis p. 131.* diætam ſeu regimen legitimum alimentorum in duobus dicit conſiſtere, *ſobrietate & proba maſticatione.* Potulenta non inſtar imbris ventri infundantur, ſed moderatè aſſumantur & deglutiantur. Tempore refectionis animi pathemata graviora, ira, terror, curæ & ſpeculationes vitentur, turbant enim chylificationem, ſed ſit animus liber & hilaris, inque gaudio & tranquilitate conſumantur, quæ DEUS benedixit & dedit: refectione obtenta non ſtatim ad ſerioſa negotia, majoremque motum properandum; à vehementiori poſt prandium inſtituto motu ortam fuiſſe ſcabiem teſtantur Authores, quoniam alimenta è ventriculo indigeſta propulſa fuêre, quæ chyli crudiorem materiam ſuppeditârunt. Ultimò monendum, ne Medicus ſit nimis rigoroſus & ſtrictus in præſcribendâ diætâ, ita ut videatur omnia prohibere, ſed quid conſuetudini & gulæ admittendum, uti HIPPOCRATES ſupra allegato *aphoriſ. monet. ſanis* dicit *omnia ſunt ſana*, ſi parcè ſumantur, ne temperatam corporis conſtitutionem in intemperatam dejiciant; non tamen omnia ventriculo obtrudenda ſunt, acida cum dulcibus, vinum cum lacte, talia confuſa fermentationem & præcipitationem producunt. Non ſit inquam nimis rigoroſus & prohibens, maximè ſi vehementer quædam alimenta â fœmellis ad paſſionem hyſtericam

vel

vel hypochondriacam inclinantibus, aut etiam gravidis avidè appetantur; TULPIUS *in observat.* adnotat fœminam vehementer haleces appetiisse & comedisse tempore graviditatis 1400. absque noxa; dum gravidarum mentionem facimus, notandum, illis succulentos & benè nutritios cibos assumendos, & è contrariò illis omnes cibos duriores & difficilè digestibiles prohibendos esse; nimis spirituosa & fortiter aromatisata sunt evitanda, ne orgasmus sanguinis excitetur, & abortus producatur. Nutrices caveant dyspeptos cibos, qualis enim fuit cibus, tale etiam lac scaturit; & maximè â commercio venereo & commotionibus animi iracundis & aliis abstineant. vid. GALEN. *L. 1. de tuend. sanit.*

§. XXV.

Ex diætæ fonte & motus cum quiete est: ille vel in excessu vel defectu peccat; defectus otium nominatur, quies immodica: excessus nocet, & morbos inducit, proportionatum regimen motûs sanguinis motum progressivum & intestinum conservat, undè sanguis debitè ad loca emunctoria defertur, & ibidem vitiosos deponit humores: motu placido & naturali ad partes nutriendas augendasque advehitur, quas irrorat, nutrit & auget; proportionato motu & ad loca principaliora & sublimiora cerebrum nempè, vel alia in quibus utiles humores secernendi sunt progreditur: exindè patet commodum motus proportionati. Immoderatus verò & excessivus sanguinis motum celeriorem reddit, undè calor sæpè præternaturalis & febrilis producitur, secretiones non solum inutilium, sed & utilium, lymphaticorum & spirituosorum augetur. Humido temperato difflato reliqui humores vel acriores & salsiores vel biliosiores verbô cacochymiæ originem trahunt: Spiritibus animalibus difflatis, corpus robore tonico viribusquè defraudatur. Nutritio succo absumto corpus tabescit & morbosum redditur. A defectu motûs cessat motus sanguinis, & supra adducta commoda ab ejusdem placido motu annihilantur, unde infiniti morbi pro-

pul-

pullulant; ideò jam HIPPOCRATES citat: *Sect. Aphoris. dicit: Studium sanitatis non satiari cibis & impigrum esse ad labores.* & *lib. 1. de diæta Cap. 1. fol. 18. homo edens, seu alias benè habens, non potest esse sanus nisi laboret.* Labor corporis non animi motum promovet, & conservat sanitatem; otia in moralibus pariunt vitia, & morbos in medicina causantur; ratione temporis motûs diei: motus equidem omni diei tempore institui potest, dummodo corpus sit vegetum & viribus constet, post pastum tamen non statim, sed quies per unam saltem horam concedenda est, ne spiritus animales in alia organa dispertiantur, & ventriculi tonus ob eorundem influxum imminutum debilitetur, & chylificatio turbetur. Contra schol. salernit: *post cænam stabis vel passus mille meabis.* Quid agat motus fortior post pastum §. præcedente diximus. Salubris est electio certi temporis diei eruditis, quo corpus motu ambulatorio, non laborioso & insueto agitent. Locus sit amœnus sensibus & spatium non nimis longinquum, naturæ onerosum & vires depascens. Consuetudo quoquè consideranda est; motui vehementiori laborioso dediti laborent, & sani persistent, & non mutent consuetudinem laboriosam in extremum otium. Cholerici & sanguinei minùs, phlegmatici & melancholici fortiùs sine saltu tamen & extremitate motu ambulatorio&exercitatorio se commoveant. Pueri & adolescentes ad duriores corporis labores non coërcendi, multò minùs infantes, sed illis impertiendus est motus ambulatorius & lusorius: senes quoquè senectus â vehementioribus exercitiis excusat. Nec saltibus gravidæ abdomen cum utero concutiant, vel aliis laboribus lympham nutritiam absumant, ne alimento fœtus destituatur, & partum moliatur præmaturum, omne tamen exercitium non abhorreant, aliàs placenta uteri solidiùs accrescit.

§. XXVI.

Motui & quieti succedunt somnus & vigiliæ: quæ res non naturales cum præteritis coincidunt; quies enim summa

ma in omnibus ſenſuum organis eſt ſomnus. Vigiliæ ſunt ſenſuum exercitium, & longior ſpirituum in partes diſtributio, & ſimiles ferè eventus, uti motus & quies poſt ſe trahunt. Quapropter â fuſiori explanatione abſtinemus, & unicè quæſtionem, quæ continuò formatur, an ſomnus meridianus poſt paſtum ſit noxius? decimus, & ſtatuimus: cholericis nempe & ſiccioribus, regionibus calidioribus, delaſſatis, viribusquè exhauſtis, ſomni beneficio nocturno tempore non gaviſis, gravidis, lactantibus, aſſuetis, curis, ſtudiis, morbisquè emaciatis, ſenibus & infantulis moderatum unius præter propter horæ ſomnum, magnum naturæ adferre ſolamen; humidum enim deficiens reſarcitur & ſpiritus animales refocillantur. Modus dormiendi ſit decubitus in latere dextro nocturno tempore, depoſitis, & non ſupra caput erectis manibus, ita enim facilè contenta in ventriculo alimenta digeſta per pylorum in inteſtina deſcendunt, quem deſcenſum decubitus in ſiniſtro latere impedit, cùm dictum ventriculi orificium in erectum feratur, & retardet exitum digeſtorum. Diurno tempore poſt paſtum dormire ſuadet ETTMÜLLERUS eruditis ſedendo. Numerus horarum, ſomni quantitatem definit: ergo, quot horis dormiendum ſit, oritur quæſtio? cholerici & melancholici, ſi poſſunt, octo, phlegmatici ſex horis dormiant, hinc dicitur quibusdam octo horis dormîſſe ſat eſt; qui circulum diei in 24. horas ſequenti modo determinant, octo horas pro ſomno, octo pro laboribus, octo pro recreatione tum corporis tum animi deſtinantes. In hiſcè verò, uti cibi & potûs certa qnantitas aſſignari non poteſt, determinatum etiam horarum ſomni ſpatium ob varietates ſubjectorum ponere non poſſumus. Quilibet ſit ſuus Medicus, & ſibi proficua eligat, & noxia fugiat. Quando dormiendum eſt: mos & natura monſtrant: nocturnum enim ordinariè tempus quieti deſtinatum eſt, & quidem duabus vel tribus horis poſt cœnam; neque conſultum eſt, ut quaſi pro itinere lonquinquo eſca & novo potu dormiturientes ſibi proſpiciant. Germani dicunt ich muß noch ein

Schlaff-

Schlaff-Trunck thuen; turbat enim concoctionem in ventriculo, somnumque insomniosum reddit.

§. XXVII.

Animi pathemata, licèt omnium primò animam occupent, & in suâ naturâ & essentiâ immobilem turbare videantur, tamen & inde plurima mala corpori inferuntur, continuum enim commercium animæ cum corpore, & vice versâ; â commotionibus animi incongruis, incongruus sanguini & spiritibus animalibus inducitur motus; unde se- & excretiones, aliæquè actiones unà cum motu partium tonico vitiantur.

XXVIII.

Animi pathemata in duplicia dividuntur, quæ vel sanguinem, spiritusquè animales in motum præternaturalem & vehementiorem concitant, ut est ira, gaudium nimium, amor immodicus: vel sanguinis motum retardant & opprimunt, ùt est timor, terror, tristitia, curæ anxiæ: hæc, si graviùs irruant mentem, omni tempore, omni ætati, omniquè sexui noxas inferunt molestissimas, quapropter quovis modo arcenda & fugienda sunt. vid. ETTMÜLLER. *T. I. Inst. Med. Pat. de Anim. Path. C. III. fol. 216.* ubi plura adnotata ex Authoribus mala ab animi commotionibus imo mortem ipsam ex BARTHOL. ortam, reperies: amor & gaudium moderatum vitam prolongant, sanitatemque conservant, spiritus enim in gaudio & amore temperato per nervos in organa partesque totius corporis placidè distribuuntur, unde tonus partium perdurat in vigore, sanguis ad partes secundùm naturam fertur, & inde actiones dependentes quæcunque naturaliter perficiuntur, excrementitii humores eliminantur, utiles asservantur. Excessum verò gaudii mortem causâsse adnotant Authores: ab amore immoderato maximè venereo inferuntur deliria furiosa & meticulosa, Epilepsia, aliaque convulsiones, maximè, si effectum, quem intendunt, obtinere non possunt. Ad animi actiones spectant studia, quæ si cum moderamine instituuntur, ingenium exacuunt, spiritusquè agiliores reddunt,

ſi verò intemperatè libris affixi hæreant Studioſi, ſanitas periclitatur, non ſolùm ob vitam ſedentariam, quam evitare cupiunt, dum ſtando libros perluſtrant, hoc tamen ipſo peſſimè faciunt, erectio enim corporis, labor ejusdem eſt occultus; ſed quatenus ſpiritus in continuo motu in cerebri fibrillis perſiſtunt, & ideò non ad reliquas partes corporis in debita quantitate feruntur, exinde tonus omnium organorum debilitatur, eorundemquè functiones quæcunquè imminuuntur, hinc quàm maximè ſecretiones humorum inutilium impediuntur & ſanguis conſpurcatur, totumque corpus debilitatur; â ſtudiis ideò profundioribus evigilantes in omnibus artubus laſſitudinem perſentiſcunt. Moderata durant: immoderatum ſtudium ſanitatem pervertit. Studia requirunt corpus viribus plenum hinc ſenibus & debilioribus â quâcunque cauſa nocent; pueris præmatura ſtudia prætmaturè caneſcentiam procurant, moderatum ſtudium verò puerorum ſpiritus & ſanguinem in agilitate conſervat. Diſpoſitio nativa etiam attendi meretur, pueri ad ſtudia inepti & ſimplices non cogendi, fruſtra ex pumice elicitur aqua. Idem de ſexu notandum. Sexus ſequior non ſtudiis, ſed vilioribus negotiis, & alendo fœtui deſtinatus eſt: hinc per ſtudia puellarum non invertenda eſt naturæ intentio. Tempus ſtudendi eſt matutinum & veſpertinum: Silentium noctis favet Studioſis, *& Aurora Muſis amica* ob amœnitatem diei, & per ſomnum reſtauratas vires homo ad exercitia corporis & animi aptus exiſtit: non ſemper ſtudendum, ſed etiam quies animi laboribus interponenda eſt: nec ultra duas horas in uno continuo ſtudio inhærendum eſt.

§. XXIX.

Progredimur ad excreta & retenta, vel uti aliis placet excernenda & retinenda; ſcimus in corpore humano reperiri humores laudabiles & excrementitios ſive inutiles: hi eliminandi ſunt per loca emunctoria, alvum, renes & veſicam, ☐nam, poros cutis, naſum, uterum in fœminis per menſtruum, lochia &c. Utiles aſſervandi ſunt, uti eſt ſanguis

guis cum lympha nutritia, ſpiritus animales &c. ad utiles ſpectat lac maternum, ſemen virile, quæ non ſibi, ſed aliis certis temporibus proſpiciunt.

§. XXX.

Inutiles, &, qui è corpore proſcribendi ſunt, ſi prædictæ quinque res non naturales debitè impendantur, rarò retinentur, & corpus putrilaginoſum efficiunt; ita & utiles ſervato diætæ regimine decenti facilè retinentur & aſſervantur. Quapropter de hiscè nihil differemus, ſed pauca quædam de ſemine virili & lacte commemorabimus. Lac alimentum tenellorum ſufficiens eſſe debet quòad quantitatem, quæ à nutribilibus alimentis & potulentis in ſufficiente quantitate aſſumtis promanat, ideò hæc aſſumantur in largiori, non tamen exceſſivâ doſi. Qualitas lactis ſit dulcis nutritia, & ſuavis, dependens â qualitate ciborum, animi pathematibus aliisque rebus non naturalibus, ideò ſuprà monita in memoriam revocanda ſunt. Semen pro fœcundando ovulo materno requiritur maturum, ſufficiens, vitali & balſamico charactere præditum, quæ conſtitutiones ut plurimùm ab alimentis originem ſumunt, ideò cùm horum jam facta ſit mentio, ſupervacaneum eſt pluribus hiscè inſiſtere; ſed potiori fine excretio ſive ejaculatio, in connubio atque coitu licito contingens, perluſtranda eſt. Semen actu venereo excretum, in robuſtis, viribus inſtructis, otio deditis, lauta utentibus menſa, ſanitatem conſervat, uti loquitur CELSVS *Lib. de tuenda ſanitate: concubitum, modò non nimis frequens ſit, corporis vires excitare.* Frequentior verò ſeminis excretio morbos parit, nam lympha nutritia, cujus flos ſemen eſt verbis WEDELII abſumitur, ſpiritus animales exhauriuntur, hinc ſubſequitur tabeſcentia, torpor & laſſitudo corporis & ipſa mors; uti ſcribit *Henricus ab* HEER *Obſervat II. p. 103.* & BARTHOLIN. *Cent. 6. Hiſtor. 94.* narrat. *mercatorem venere nimis exæſtuatum, in actu venereo exſpiraſſe* & GRVNDELINVS *in M. N. G. D. II. An. 4. Obſerv. 166.* de melancholico ſimile adfert exemplum. Non ſolùm exceſſiva, & immoderata, ſed

& nimis temperata & frigida venus parit morbos, unde in fœminis varii morbi, furor uterinus, passio hysterica, in viris Melancholia & mania unicè commerciô venereô solvendi, exoriuntur. vid. PAVL. *M.N.C. D.II. An.IX, Obs. 89.* & GALEN. *L. VI. C. 5. Loco affect.* & alii. Tempus coeundi optimum esse plurimi Authores asserunt diluculum, ubi ventriculus adhuc vacuus, & vires per somnum recuperatæ sunt. Absit actus venereus in exhaustis â morbo, curis, studiis, laboribus, æstate urente &c. ætas virilis & juvenilis sive consistens favet veneri: natura enim lympham pro generando semine jam dispensat, quam antecedenter pro nutriendo augendoquè corpore impendebat. Hæc sunt, quæ de conservanda sanitate absque pharmaco adducere voluimus, & licèt credant quidam cum CELS. *I.C. Rom. de re med. L. 1. dicente: Sanus homo, qui & bene valet, & simul suæ spontis est, nullis se obligare debet legibus &c.* & juxta illud *Medicè vivere, est pessimè vivere*, molestum nempe esse juxtà regulas *Diætæ* suum instituere curriculum vitæ, sic tamen nos non nimis stricti fuimus, & quid pro delectanda gulâ palatoque, subsistente tamen sanitate admisimus: hinc inferimus: *Medicè vivere est optimè vivere*, inde enim dependet sanitas & hac nihil est exoptabilius.

SECTIO II.

DE CONSERVANDA SANITATE CVM PHARMACO.

§. I.

PHarmacum vi vocis consideratum statui præternaturali & morboso non sano inservit. Sanitas non indiget mutatione contingente per medicamen, exinde enim molestiam recipit uti loquitur HIPPOCRAT. *qui integra corporis sunt valetudine, medicationes ægrè molestèque ferunt.* Ad quid ergo medicamen pro conservanda sanitate?

tate? Reſpondeo: Non curamus vel alteramus ſanitatem præſentem medicamine ſed imminens periculum futurum avertimus, ne nempe è temperato corpore intemperatum prodeat: intemperies verò præſupponit diſpoſitionem in temperamentis, ætate utplurimùm & aliis, quæ duo igitur, remiſſis aliis, brevitate, quâ fieri poteſt, perluſtrabimus.

§. II.

Sanguineus facilè plethoram incidit, ſi otio vel vitæ ſedentariæ ſit addictus, & copioſiori alimentorum delectetur acervo, ne illa itaque ingruat, præcavenda eſt V. S. tempore vernali HIPP. ſuadente: ad imminuendum humidum conveniunt laxantia blandiora, ſcarificationes & profunt ipſæ.

§. III.

Cholericus vicinus eſt intemperiei bilioſæ: hæc avertitur per acida & ⊕ſa, abſorbentia, & ▽ſa medicamenta, huic maximè conveniunt hæc & ſimilia. V. g. ℞. ⊕ ♁niat. vel depurat. vel tabulat. regener. ℈ij. Lap. ♋. cit. ʒß. hep. rub. Dresd. ℈j. ♁ Diaph. ℈ß. M. f. L. A. pulv. V. D. ad cht. S. Gall benehmendes Pulver, Abends und frühe eins zu nehmen in Bier. Vel ℞. TR. viol. arcan. ♀ ana ʒij. M. D. ad vit. S. Tags dreymahl 40. biß 50. Tropffen zu nehmen; ſerum lactis ſucco citri vel alio +do præcipitatum conducit. Proſunt & infuſa & decocta ex rad. acetoſ. cichor. gramin. Hb. lactuc. acetoſel. fragar. beccabung. nummular. flor. borag. bugloſ. violar. ſumit. pin. &c. laxationes forma humida bilem imminunt, & bilioſam ſimul cacochymiam præcavent. V. g. ℞. rad. rhabarb. Alexand. vel Monach. fol. Senn. ana ʒiij. pulp. tamarind. ʒij. ⊕ ♁niat. ʒiß. Cort. ☉rant. ʒj. C. C. M. coq. in ſufficiente q. ▽ vel ſero lact. bibantur 3. 4. vel 5. vitrella & exſpectetur laxatio, hac emanente 2. vel 3. ſubordinentur. Ipſa V. S. prodeſt: acidulæ debitis hauſtæ temporibus egregiè conducunt & avertunt ſanitatis pericula.

§. IV.

§. IV.

Phlegmaticis & melancholicis ordinentur incidentia & resolventia ⊖na. ℞. rad. ar. ⊖. cent. min. ♁. nat. pptt. Lap. ♋. pptt. ana ℈j. fl. ⊖✶ gr. vj. vel viij. ☍ cargoph. gt. ij. M. f. pulv. IV. D. ad. ch. S. pulv. abends 1. zu nehmen in Wein. ℞. TR. ♀ ℥iij. Eff. cent. min. vel pimpin. alb. ℥j. ♒⊖✶. vinos. ℥j. M. D. ad vit. S. früh Nachmittag 3. Uhr 36. Tropffen zu nehmen in Wein. Sin verò Melancholicorum sanguini biliosa qualitas immixta videatur, immisceantur ⊕sa vel ✠dula; prosunt purgantia, aliaque diuretica.

§. V.

Ab ætate cautela practica desumenda est: infantes ad epilepsiam proclives sunt, his quandoque porrigatur pulv. anteepilept. March. specif. ceph. Mich. TR. ⊙ sicca. Eff. succin. &c. Viri febribus ardentibus facilè corripiuntur, his nominata absorbentia ⊕sa & ✠da conveniunt. Senes apoplexiâ moriuntur, quibus resolventia & confortantia filum vitæ extendunt atque prolongant. V. g. spec. diamarg. frig. dianth. diaxyloal. ♁. nat. ✠nii. Lap. ♋. pp. &c. Elix. Ceph. variorum Authorum. liq. C. C. succinat. ⊖ valutite ☍sum sylv. ♒ ⊖✶. vinos. aromatis. ☍ lavend. cinam. anth. cubeb. &c. possent adhuc plura adduci, cùm verò hæc Medicis practicis cognita, & præsens hic dissertationis campus prolixitatem renuat, ideò subsisto & finio in Gloriam DEI T. O. M. apprecando, ut B. L. inde suam, & aliorum margaritam vitæ, sanitatem nempe incolumem reportet & conservet.

F I N I S.

